

05

A

2113





(De filii analogia)

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JO. GEORG. NEU-
MANNUS,

SS. THEOL. LIC. ET PROF.

PUBLICUS

IN

ACADEMIA WITTENBERGENSI.

Prælo VIDUÆ MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
A. O. R. MDC XCII.

*Ex cell
Ce
H. A.*





Væ omnium ore celebra-

tur atq; traditur in Scholis nostris, FIDEI ANALOGIA; adeo diffidenter ac dubiè explicatur Auçtoribus, ut nec in describenda illius indole ac naturâ consentiant omnes, nec quam inde consequimur utilitatem, satis liquidò exponant. Eruditum certè nomen Analogia est, suosque natales Mathematicorum filiis debet, quibus Euclide potissimum Auçtore, Analogia rationum similitudo est, qua numeri ipsæque magnitudines inter se comparantur. Quæ enim ratio quaternarii ad binarium, eadem quoque octonarii ad quaternarium est: & quantum longior est pes Herculeus alterius cujusdam pede; tantò item stadium Herculeo pede sexcenties finitum longius est eò stadiò, quod alterius pede transmissum fuit. Cujus quidem Analogiæ seu proportionis cum ea præcipuè vis sit, ut æqualitatem juxta & inæqualitatē commonstret, tacitasq; argumentandi rationes involvat; sapienter admodum Apostolus: κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως exactū cupit cujusvis vaticinii interpretamentum, ut congruatne cum illâ, an pugnet; utrum ex hâc quasi præviâ quadam duce inferri queat, an negari, planissimè perspiciatur. Itaque illa fidei Analogia nihil aliud nobis est, quam doctrinæ Christianæ ex illustribus Scripturæ testimoniis con-

Euclid. lib.
V. Def. 4.

Eucl. lib. cit.

Rom. XII, 6.
coll. 1. Cor.
XIV, 32.



05 A 2113

concinnatæ ὑποτύπωσις, ad quam reliquorum loco-
 rum interpretationes veluti ad regulam exiguntur, inde-
 que haud difficulter dijudicantur. Quod ὑποτύπωσις
 D. Apostolus appellat, id *formam* & *exemplar arche-* 2. Tim. I. 13
typum ex veterum mente interpretor; nec seorsim sentio
 ab iis, qui aliis paulo diversisq; vocibus rem exprimunt,
 quando in eandem nobiscum sententiam incumbunt.
 Cùm enim hanc Fidei Formam velut anchoram & firmamen-
 to quodam innitamur; *Ancoratum* appellat Epipha-
 nius; Basilius vero Ὁχύρωμα τῶν δογμάτων. Cum
 erudiendis hominum animis inserviat; *Institutionum*
 nomine illam efferunt Lactantius & Aurel. Cassiodorus.
 Cùm Apostolicæ doctrinæ ad amissim respondeat;
Catholica juxta & *Orthodoxa Fidei* titulo eandem in-
 signiunt Athanasius, Augustinus, Proclus, Victor Africa-
 nus, Damascenus. Denique cum fiat, ut communi Ec-
 clesiae calculo approbetur, ac instar militaris tesseræ ad di-
 stingvendum à lectis ordinibus hostem adhibeatur; ex-
 quisitò reconditoq; Symboli nomine per omnem anti-
 quitatem innotuit. Neq; vero hæc Analogia ac Summa
 fidei sui expers principii est, aut velut Academia Arcesilæ
 ambiguos opinionum lusûs venditat: sed uti ratio no-
 stra arcano quodam motu ad assentiendum inflectitur:
binarium in quaternario bis contineri; perinde
 quoque sublimius illud & divini Numinis afflatu editum
 verbum percellit animum nostrum ac terebrat, atque ad
 fidem mysteriis habendam trahit. Quæ assensio licet
 in rebus supra hominis judicium positis langvida & exani-

) (2

mis

mis sit, nec ingenitâ virtute suâ eluctetur; Sanctitamen
SPIRITUS auxilio emergit, viresque credendi concipit
1. Cor. II, 4. tam validas ut ἀπόδειξις πνεύματος & omni demon-
stratione Pythagoricâ firmior in animo relinquatur.
Jam nulla doctrinæ coelestis pars est, quæ non revelatô
hoc innitatur principio, perspicuisq; & illustribus S. Scri-
pturæ testimoniis firmetur. Suam undiqvaqve divi-
nitatem prodit Scriptura, sed non undiqvaqve articulum
fidei proponit. Delecti cancelli sunt, sedesque propriæ
& reliquis aliquanto insigniores, ex quibus, veluti sparsæ
per S. Scripturam gemmæ, colliguntur capita fidei, quæ
ut axiomata in disciplinis, demonstrationem non requi-
runt, sed ipsa sibi demonstrationis instar sunt, facemq;
præferunt, & paulo occultioribus locis fœnerantur lu-
Psal. V, 5, cem. Ita Illustris sedes est, quâ *DEUS peccatum*
non velle, disertis verbis perhibetur, nec aliud doctrina
de Sanctitate DEI evincit. Quæ proinde de Indura-
tione Pharaonis, de Davide ad numerandum populum
conciatô leguntur, in eam explicanda sententiam sunt,
ne obluctentur priori dogmati & tam perspicuo fidei ca-
piti tenebras offundant. Sic loco non uno classica firma-
Job. I, 7. tur doctrina, *Christum solutô sanguinis pretio à pec-*
Rom. III, 25. *catis nos redemisse.* Cum igitur Regem desistere &
Ec. *peccata sua justitiâ & eleemosynis redimere* jubet
1. an. IV, 27. Propheta: quærenda interpretatio est principali doctri-
næ analogâ & conformis; quæ non tam extorqvenda ex
textu, quam ultrò elicienda relinquatur. Ex his itaqve
talibusque Scripturæ perspicuis sedibus, quæ collecta &
in

in quoddam velut Syntagma congesta est, doctrina coelestis; Fidei Analogia probatorum interpretum consensu appellatur. Equidem cum verbis Ecclesiae Doctorum hodie concinnetur ejusmodi Summa fidei, alioque & alio ordine, quem quisque pulcrum putat, digeratur, minimè vero existimandum, in auctoritatem humanam & veracitatem dicentis, quam concipimus, fidem revolvi. Namque per se, ut norma ἀξιόπιστω, credimus Scripturae divinae, atque in hanc postremum recedit, in hac unice acquiescit fides nostra: Libris autem sive Patrum sive Neotericorum dogmaticis, propter perpetuum cum scriptura consensum adstipulamur, quod cum illa, tanquam unico veritatis fonte, immotoque fundamentò congruere censentur. Extat Concilii Arausici Canon VII. in hunc sensum scriptus: *neminem ex se posse credere aut diligere, sicut oportet.* Quò quidem accendi fides & quodammodo excitari potest, cum quoad rem & sententiam ipsum DEI verbum sit. Sed si tamen fluctuet illa & dubitet, minimè ad sedandos hos fluctus sufficit, Canonem antiquiorem Palaestinum eodem sensu allegare, aut à Palaestino ad Nicenum, ab hoc ad Apostolicum provocare: unicum Christi effatum est, ex quo pendet Canon, & quò convincitur ac tranquillatur conscientia credentis: *Sine me nihil potestis facere.* In- Job. XV, 5.
terim vero adhuc regulæ normæque vicem obtinet, quæ ex sacris literis extracta est, Fidei Analogia. Non quod fidem ultimato normet illa, sed primum veluti impetum hostium sustineat, pugnantemque ac dissilien-

Doctr. Christ
LIII. c. II.
p. 87.

Phil. S. LII.
P. II. p. 355.

Socratem vi-
de L. I. H. E.
c. VIII. p. 20.
& Sozome-
num L. I.
H. E. c. XII. X.
p. 431.

tem doctrinam a consentienti & recta discernat. *Cum adhibita intentio incertum esse providerit*, inquit Augustinus, *quomodo distinguendum, aut pronuncian- dum sit, consulat Regulam fidei, quam de scri- pturarum planioribus locis percepit.* Nec ab his partibus dissident Nostrates, qui B. Glasium sequuntur, ita pronunciantem: *ex claris & perspicuis dictis de singulis fidei dogmatibus, Fidei Regula, h. e. articulo- rum scitu ad salutem necessariorum, Systema, in- star catena aurea connectitur ac colligatur.* Tanti autem refert comprehensam divinis literis tenere ὕπο- τύπωσιν sanorum verborum atq; dogmatum, ut ea, ceu quidam contendunt, omisa, pronam ad errores vi- am aperiri; recte autem fideliterq; exculta, dignosci er- rantes, haereticos confelli, dubia & controversa enodari, ipsam deniq; scripturam in abstrusis difficilibusque locis explicari facilius posse existimem. Proditum memoriae est, in Concilio Niceno cum acutissimo Philosopho con- tendisse Senem, nec velitationum peritum, nec in argu- tiis Dialecticis subactum, sed fretum integritate vitae & Christianae doctrinae recte intelligentem. Quare certa- men ingressus, non acervalibus eductis conclusionibus coegit Sophistam, qui tot aculeatis dictis fatigaverat omnes, sed unica fidei Analogia, quae Symbolo Aposto- lico continetur, diducta quidem illa & ex sacris literis fir- mata, superior discescit, ut fateretur Philosophus, se non sine divino Numine devictum & inexplicabili quadam virtute ad amplectendam Christi fidem impulsus fuisse.

Di-

Divus certe Lutherus nulla re magis innitebatur, quam congruente cum sacris literis ex iisdemque collecta fidei Analogia: cuius adeo beneficio & dextre interpretabatur Scripturam & ex omnibus hostium congressibus victor redibat. *Id imprimis considerare soleo, inquit, an congruat expositio cum Analogia & sensu fidei.* Hinc in certamine cum Eccio, Pontificem R. caput Ecclesiae esse, contendente; sententiam defendebat Scripturis conformem: Christum unicum Ecclesiae caput esse; futuram autem monstro similem Ecclesiam, quae duobus in uno corpore capitibus emineat. Sic, cum in Colloquio Jeverensi objiceretur Hamelmanno: infantes esse sanctos, nec ideo Exorcismi ritu abluendos; respondebat ille ex fidei Analogia: *infantes in peccatis natos & conceptos, naturam filios irae, morti, adeoque ipsi Autori mortis Diabolo subjectos esse: quo ipso partes suas egregie tuebatur.* Nunquam forte provocatum ad Analogiam crebrius est, quam in Colloquio Mompelgartensi. Cum enim Christi in terris praesentiam ideo negaret T. Beza, quod omne corpus circumscriptum loco sit; ac pro se Analogiam fidei allegaret: respondebat J. Andreae: *hanc non esse fidei Analogiam, sed ratiocinationem ex Philosophia humana petitam, contra fidei Analogiam quae testetur disertè: Christum super omnes caelos* *evectum omnia implere.* Sed de his non tam dicendi quam publico opere agendi campum mihi DEI

Comment. in
Gen. XLI. f.
77.

T. I. Jen. f.
230 239.
Eph. I, 22.
V, 23.

Vid. Acta
Colloq. Je-
verens. pag.
540.

V. Acta Col-
loqvii Mom-
pelg. p. 236,
271.

mu-

munere & providentiâ apertum conspicio. Ex quô
enim divinis auspiciis **SERENISS. ac POTEN-**
TISS. ELECTOR SAXONIÆ DN.
JOANNES GEORGIUS IV.

NUTRITIUS noster longè Clementissimus, præ-
viâ Amplissimi Academiae Senatus commendatione,
provinciam docendæ Theologiæ publicam mihi præ-
ter expectationem & meritum benignissimè demanda-
vit: præcipuam muneris mei partem esse intelligo, Fidei
Analogiam ea quâ par est, dexteritate inculcare. Cum
vero Superiorum nutu ac voluntate Epistolarum S. Jo-
hannis interpretatio injuncta mihi sit; non omni tan-
tum contentione, sed dimicatione quoque ac studio in hoc
negotium incumbam: Privatis interea laboribus eam,
quam intendo operam, confecturus. Deinceps quo-
que ad Conciones publicas in templo, ut fieri consue-
vit, Academicò me accingam, & singulis Jovis diebus
Fidei Articulum ex classico Scripturæ dictò, populari
sermone explicabo. Ne vero morem antiquum mi-
gram, crastino die, propitio Numine, Orationem Inau-
guralem præmittam; ad quam audiendam **MAGNI-**
FICUM ACADEM. RECTOREM, PER-
ILLUSTREM LIB. BARONEM, PATRES-
QUE ac CIVES universos, ea quæ par est animi
observantia & humanitate invito. **P.P. DOMI-**
NICA XII. post TRINITATIS
A. cl̄l̄c̄ XCII.

05 A 2113

ULB Halle 3
003 783 421




510

VON

04







(De filii analogia)

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
JO. GEORG. NEU-
MANNUS,
SS. THEOL. LIC. ET PROF.
PUBLICUS
IN
ACADEMIA WITTENBERGENSI.

Prælo VIDUÆ MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
A. O. R. MDC XCII.

*Ex cell.
Co
H. N.
H. O.*